

TABELLAE



Palatium Michaelis Karski Vlostoviae (Włostów) situm, in quo Achilles Ratti diebus 7, 8 IX 1918 durante suo itinere Sandomiriam commoratus (cfr. ANP LVII/2, N. 228, p. 264-272)

Tab. 1.

**Dispensationes et gratiae a Nuntio Apostolico Achille Ratti
a die 1 Novembris a. 1919 concessae**

Numerus et dies petitionis	Quis petit?	Quid petitur?	Dies concessionis	Locus fontis et P. ¹
1	2	3	4	5
1. 1 XI 1919	Epus Leo Wałęga ²	Petit dispensationem super impedimento consanguinitatis, quo in secundo gradu primum tangente lineae collateralis ligantur Iacobus Miłoś (viduus, annos natus 35) et Iulia Piątkowska (vidua, annos nata 34), dioecesis Tarnoviensis.	13 XI	201 f. 159r N° 6436 (P. 828)
2. 2 XI 1919	Epus Sigmundus Łoziński	Petit: 1) ut sacerdotibus veniam celebrandi Missam et administrandi sacramenta in domibus privatis concedere velit; 2) licentiam binandi Missam certis temporis spatiis; 3) licentiam asservandi SS. Sacramenti in ecclesiis et oratoriis; 4) licentiam incipiendi praxim annuae confessionis et sanctae communionis paschalis ineunte Quadragesima; 5) facultatem concedendi plenariam indulgentiam tempore visitationis pastoralis in quacumque ecclesia neque in ecclesia parochiali; 6) facultatem adscribendi Confraternitatibus et Societatibus Scapularibus; 7) facultatem adscribendi et accipiendi in III Ordinem S. Francisci nec non concedendi bis in anno indulgentiam plenariam benedictionemque apostolicam omnibus receptis; 8) ut sacerdotibus dioecesanis ei subiectis facultates, de quibus in	20 XI	201 f. 173r- 176r, 192r (P. 881), P. 882, (P. 920)

¹ Littera P. significat N.prot. Cancellariae Nuntiaturae Apostolicae Achillis Ratti.

² Epus Leo Wałęga, cfr. ANP LVII/1, notam 606, p. 273.

1	2	3	4	5
		<p>numeris 6 et 7, concedere velit; 9) ut sacerdotibus facultatem erigendi Stationes Viae Crucis in ecclesiis concedere velit; 10) ut sacerdotibus facultates benedicendi cruces, numismata, rosaria signo Crucis semel facto atque applicandi indulgentias apostolicas, indulgentias plenarias et in articulo mortis etiam indulgentiam "toties quoties" concedere velit³; 11) ut sacerdotibus facultates applicandi Missas diebus festis sublatis ad intentiones ab ordinario praeceptas et transmittendi stipendia pro eisdem Missis accepta ad thesaurum dioecesanum tribuere et concedere velit; 12) facultatem clericos nominandi itemque eos transferendi et revocandi; 13) ut consultoribus dioecesanis, qui ad chorum cathedralem pertinent aut adsunt quolibet loco, ubi officia divina ab ordinario celebrantur, privilegium utendi rochetto et mantollete concedere velit; 14) ut caeremoniario privilegium utendi rochetto et mantollete in Missa pontificali concedat⁴.</p>		
<p>3. 3 XI 1919</p>	<p>Epus Petrus Mańkowski</p>	<p>Petit veniam: 1) ut in tota dioecesi Camenecensi sancta communio paschalis a prima Quadragesima incipi possit; 2) ut in omnibus ecclesiis parochialibus in festis duplicibus minoribus et maioribus cotidiana Missa de Requie tamquam Missa cum cantu celebrari possit.</p>	<p>21 XI</p>	<p>201 f. 180r (P. 906)</p>

³ In margine f. 192r legitur adnotatio secretarii: "Provisum per litteras 20 Novembre 1919; ad n. 10 (N.prot. 882); additur indulgentia Viae Crucis".

⁴ Aliquot facultates ab epo Sigismundo Łoziński postulatae sub certis condicionibus concessae sunt, ex. gr.: ad 1) "si gravis adsit causa et debita, quae par est, reverentia rebus sacris servata"; ad 2) "ad tempus determinatum, non tamen ultra triennium, binatione SS. Sacrificii, nullo tamen accepto stipendio pro secunda Missa sic celebrata"; ad 4) "incipiendo a dominica prima Quadragesimae"; ad 12) "cum iusta tamen et gravi causa, audito consilio duorum parochorum consultorum"; ad 13) "usque ad Constitutionem Capituli Cathedralis quam primum procurandam, non tamen ultra triennium". Cfr. AV, Arch.Nunz.Vars. 201 f. 175r-176r Ratti - Łoziński, Varsaviae 20 XI 1919 (N.prot. 882).

1	2	3	4	5
4. [4 XI] 1919	P. Gundisalvus Junik ⁵ OP	Petit, ut sibi et p. Thomae Szponarowicz ⁶ concedantur facultates benedicendi coronas, rosaria, cruces, crucifixos, parvas statuas ac numismata eisque applicandi indulgentias apostolicas, non exceptis iis, quae coronis s. Birgittae nuncupatis adnexae sunt.	5 XI	201 f. 149r (P. 792)
5. 5 XI 1919	Sac. Adolfus Carling	Petit pro se et pro toto clero catholico in Finlandia, ut omnes facultates ab episcopo Mohiloviensi pro tempore belli datas prorogare velit: facultatem audiendi confessiones et a reservatis absolvendi; facultatem dispensandi super matrimonii impedimentis, imprimis super impedimento mixtae religionis; facultatem celebrandi Missam et distribuendi sacramenta in domibus privatis; facultatem Missas binandi diebus festis easque pro fidelibus applicandi; pro quoque sacerdote facultatem dispensandi super observantia ieiunii et abstinentiae necnon in foro externo in toto territorio Finniae ⁷ .	21 XI	204 f. 47r-v (P. 888)
6. 8 XI 1919	Sac. Ioannes Bernacki ⁸ , vicarius generalis Tarnoviensis	Petit dispensationem super impedimento affinitatis, quo in secundo gradu primum tangente lineae collateralis ligantur Andreas Tęcza (caelebs, annos natus 27) et Maria Drzat (vidua, annos nata 33), dioecesis Tarnoviensis.	13 XI	201 f. 160r N° 6535 (P. 829)

⁵ P. Gundisalvus Junik OP, a. 1880 natus, sacerdotii ordine a. 1903 auctus, prior monasterii Dominicanorum Leopoliensis; a. 1925 religiosus in monasterio in Podkamień.

⁶ P. Thomas Szponarowicz OP, a. 1878 natus, presbyteratus ordinem a. 1903 accepit, a. 1925 functus est munere administratoris parociae Tyśmienica (in decanatu Stanisławów, archidioecesis Leopoliensis) et vice-prioris conventi in eodem oppido siti.

⁷ In f. 47v legitur adnotatio secretarii: "Concesse le facultà richieste al petente e al parroco di Helsingfors D.no Severino Turosieński; concessa ad altri sacerdoti solo di dispensare dal digiuno ed astinenza se lontani dalle parrocchie. Per i matrimoni concessa facultà di dispensare da consanguinità, affinità e pubblica onestà e mista religione, eccetto affinità in linea retta. Tutto ad triennium da Mons. A. Ratti Nunzio Apostolico, Varsavia 21 XI 1919". Pro informationibus iteratis, quae cognomen et titulos nuntii itemque locum et diem dispensationis concessae continent, ceteris in notis parentheses quadratae una cum duabus lineis directis substituentur - [-].

⁸ Sac. Ioannes Bernacki, cfr. ANP LVII/6, Tab. 1, notam 30, p. 548.

1	2	3	4	5
7. 8 XI 1919	Sac. Ioannes Bernacki	Petit dispensationem super impedimento affinitatis, quo in primo gradu aequali lineae collateralis ligantur Petrus Małek (viduus, annos natus 27) et Veronica Gdowska (nubilis, annos nata 22), dioecesis Tarnoviensis.	13 XI	201 f. 161r N° 6585 (P. 830)
8. 8 XI 1919	Sac. Ioannes Bernacki	Petit dispensationem super impedimento affinitatis, quo in primo gradu aequali lineae collateralis ligantur Iosephus Ostreğa (viduus, annos natus 54) et Thecla Stelmach (nubilis, annos nata 46), dioecesis Tarnoviensis.	13 XI	201 f. 163r N° 6565 (P. 832)
9. 9 XI 1919	Sac. Ioannes Bernacki	Petit dispensationem super impedimento affinitatis, quo in primo gradu aequali lineae collateralis ligantur Stanislaus Nuzikowski (caelebs, annos natus 35) et Stanislava Łazarska (vidua, annos nata 32), dioecesis Tarnoviensis.	13 XI	201 f. 162r N° 6654 (P. 831)
10. 13 XI 1919	Epus Leo Wałęga	Petit dispensationem super impedimento affinitatis, quo in secundo gradu cum primo mixto lineae collateralis ligantur Stanislaus Kożuch (caelebs, annos natus 23) et Elisabeth Bugajska (nubilis, annos nata 33), dioecesis Tarnoviensis.	15 XI	201 f. 164r N° 6806 (P. 841)
11. 13 XI 1919	Epus Leo Wałęga	Petit dispensationem super impedimento affinitatis, quo in primo gradu aequali lineae collateralis ligantur Franciscus Romuzga (caelebs, annos natus 23) et Catharina Romuzga (vidua, annos nata 36), dioecesis Tarnoviensis.	16 XI	201 f. 165r N° 6719 (P. 842)
12. 13 XI 1919	Epus Henricus Przeździecki	Petit a nuntio, ut facultas peragendi processus canonicos super matrimonio rato et non consummato ei concedatur ⁹ .		201 f. 166r, 168r N° 3587 (P. 864, 865)

⁹ In litteris die 18 XI 1919 (N.prot. 865) datis nuntius edocuit epum Henricum Przeździecki eiusmodi causas a summo pontifice specialissimo modo reservatas esse. Adiunxit tamen se, si talis causa existeret, pontificem maximum tota de re certiorum facturum esse.

1	2	3	4	5
13. 14 XI 1919	Epus Leo Wałęga	Petit dispensationem super impedimento consanguinitatis legitimae, quo in tertio gradu aequali lineae collateralis ligantur nec non consanguinitatis naturalis, quo in secundo gradu aequali lineae collateralis legati habentur Iosephus Zieleń (caelebs, annos natus 25) et Marianna Zieleń (nubilis, annos nata 24), dioecesis Tarnoviensis.	19 XI	201 f. 169r N° 6608 (P. 868)
14. 14 XI 1919	Epus Leo Wałęga	Petit dispensationem super impedimento consanguinitatis, quo in secundo gradu lineae collateralis ligantur Leo Gurgul (caelebs, annos natus 29) et Angela Gurgul (nubilis, annos nata 19), dioecesis Tarnoviensis.	19 XI	201 f. 170r N° 6807 (P. 869)
15. 14 XI 1919	Epus Leo Wałęga	Petit dispensationem super impedimento affinitatis, quo in primo gradu aequali lineae collateralis ligantur Iosephus Bukowiec (caelebs, annos natus 28) et Sophia Bukowiec (vidua, annos nata 32), dioecesis Tarnoviensis.	19 XI	201 f. 171r N° 6847 (P. 870)
16. [ante 15 XI] 1919	Sac. Eduardus Mikołaj- jun ¹⁰	Petit facultates benedicendi coronas, rosaria, cruces, crucifixos, parvas statuas ac numismata eisque applicandi indulgentias apostolicas, non exceptis iis, quae coronis s. Birgittae nuncupatis adnexae sunt, facultatem imponendi indulgentiam "toties quoties" in articulo mortis, facultatem declarandi altare privilegiatum bis in hebdomada et facultatem anticipandi Matutinum ab hora prima post meridiem ¹¹ .	15 XI	192 f. 195r (P. 958)
17. 15 XI 1919	Aepus Iosephus Bilczewski	Petit dispensationem super defectu 20 mesium aetatis pro diacono Adamo Gyurkovich ad sacrum presbyteratus ordinem promovendo ¹² .	29 XI	201 f. 199r N° 6977 (P. 948)

¹⁰ Sac. Eduardus Mikołajun, presbyter dioeceseos Vilmensis, in decanatu Lidensi laborabat. A. 1885 natus, sacerdotii ordinem a. 1907 suscepit. A. 1925 functus est munere magistri religionis in Białystok.

¹¹ Omnes facultates ad quinquennium concessae.

¹² Sac. Adamus Gyurkovich, presbyter archidioeceseos Leopoliensis, a. 1897 natus, presbyteratus ordinem a. 1919 accepit. A. 1925 in Universitate Studiorum Ioannis Casimiri Leopoliensi munus adiuto-

1	2	3	4	5
18. 16 XI 1919	Epus Leo Wałęga	Petit dispensationem super impedimento affinitatis, quo in primo gradu aequali lineae collateralis ligantur Basilius Demczuk (viduus, annos natus 31) et Maria Ruchała (nubilis, annos nata 24), dioecesis Tarnoviensis.	19 XI	201 f. 172r N° 6876 (P. 874)
19. 16 XI 1919	Epus Sigismundus Łoziński	Petit facultates: 1) dispensandi super impedimento consanguinitatis in secundo et tertio gradu lineae collateralis atque affinitatis in primo et secundo gradu lineae collateralis ¹³ ; 2) reducendi Missas.	21 XI	201 f. 177r- 179r (P. 889, 890)
20. 17 XI 1919	Epus Iosephus Sebastianus Pelczar	Nomine confessarii ex paroecia Mościska (dioecesis Premisliensis), petit dispensationem super praestitis votis perfectae et perpetuae castitatis pro Augusta virgine, ita ut conubium inire possit.	26 XI	201 f. 195r N° 3728 (P. 931)
21. 17 XI 1919	Epus Iosephus Sebastianus Pelczar	Nomine Alexandrae Żeńczak, ex Bachorz, petit veniam transeundi ex ritu Graeco-catholico in ritum Latinum, quia praefata persona eiusmodi supplicationem per ordinarium ritus Graeco-catholici proponere non audet.	29 XI	200 f. 161r N° 5768 (P. 947)
22. 18 XI 1919	Sac. Robertus Weimann, vicarius generalis Poznaniensis	Petit dispensationem super impedimento consanguinitatis in secundo lineae collateralis gradu tangente pro Stanislao Hajdasz (annos nato 28) et Martha Hajdasz (annos nata 22), archidioecesis Poznaniensis.	23 XI	201 f. 181r N° 9385/19 (P. 911)
23. 19 XI 1919	Epus Henricus Przeździecki	Petit, ut sacerdotes Iosephum Opielka ¹⁴ et Ioannem Myrdzio ¹⁵ , qui impetrato saecularizationis indulto ex congregacionibus religiosis ad clerum dioecesanum transierunt, ab observantia normae can. 642 dispensare velit eisque veniam concedat: 1) sus-	23 XI	197 f. 134r-v N° 3649 (P. 910)

ris gessit et vicarius fuit in paroecia sub invocatione Mariae Magdalenae.

¹³ Nuntius potestatem dispensandi pro decem casibus concessit.

¹⁴ Sac. Iosephus (Serapion) Opielka, cfr. ANP LVII/6, notam 90, p. 567.

¹⁵ Sac. Ioannes Myrdzio (1886-1928), presbyteratus ordinem a. 1910 accepit. A. 1925 fuit parochus paroeciae Skrzyszew. Obiit Ianoviae.

1	2	3	4	5
		cipiendi beneficia et officia in ecclesia cathedrali; 2) gerendi munus professoris in Seminario Dioecesano; 3) suscipiendi officia et onera in Curia Dioecesana, si necesse sit.		
24. 19 XI 1919	Epus Leo Wałęga	Petit dispensationem super impedimento affinitatis, quo in secundo gradu primum tangente lineae collateralis ligantur Iacobus Malik (viduus, annos natus 54) et Anna Spyra (nubilis, annos nata 34), dioecesis Tarnoviensis.	23 XI	201 f. 190r N° 6980 (P. 918)
25. 21 XI 1919	Epus Iosephus Sebastianus Pelczar	Petit privilegium oratorii privati pro aegro sacerdote, Ioanne Łokietek ¹⁶ , paroco paroeciae Medynia ¹⁷ .	3 XII	201 f. 201r N° 6019 (P. 982)
26. 22 XI 1919	Epus Adamus Stephanus Sapieha	Petit dispensationem super impedimento mixtae religionis pro Stanisława Kasperkiewicz (catholica) et Liubomiro Dragojevič (schismatico).	26 XI 1919	201 f. 196r N° 9604 (P. 932)
27. 25 XI 1919	Epus Marianus Leo Fulman	Petit a summo pontifice, ut incolae pagi Jastrzębiec, ad paroeciam Tarnawiec, dioecesis Premisliensis, pertinentes, recens erectae paroeciae Luchów Górny, dioecesis Lubliniensis, adiungantur ¹⁸ .	12 XII	195 f. 108r- 109r N° 3182 (P. 1060) P. 1062
28. 25 XI 1919	Sac. Wladislaus Skrzyszewski ¹⁹	Petit ²⁰ potestatem adscribendi Confraternitati SS. Rosarii et Scapulari BMV ac concedendi absolutionem generalem pro Tertiariis ²¹ .	18 XII	201 f. 213r (P. 1097)

¹⁶ Sac. Ioannes Łokietek (1852-1920), presbyter dioeceseos Premisliensis, sacerdotii ordine a. 1877 auctus.

¹⁷ In margine legitur adnotatio secretarii: "Concessa la grazia ad quinquennium [-]".

¹⁸ Cfr. N. 1432.

¹⁹ Sac. Wladislaus Skrzyszewski, presbyter archidioeceseos Varsaviensis, a. 1881 natus, sacerdotii ordinem a. 1904 suscepit, parochus paroeciae Pustelnik (in decanatu Mińsk Mazowiecki).

²⁰ Aepus Alexander Kakowski eius preces commendavit.

²¹ In margine legitur adnotatio secretarii: "Concessum ad triennium [-]". Ratione artis ex adnotationibus excerptae et prolatae sunt solummodo informationes ad tempus et condiciones dispensationis concessae pertinentes, omissae sunt ea, quae ad personam dispensationem concedentem itemque ad locum diemque datae dispensationis spectant.

1	2	3	4	5
29. 26 XI	Sac. Wladislaus Chendyński ²²	Nomine Capituli Cathedralis Tarnoviensis ²³ expetit reductionem onerum Missalium susceptorum ex testamentis duorum canonicorum, sacerdotum Andreae Mikiewicz ²⁴ (ad unam Missam lectam annuariam) et Andreae Rajner ²⁵ (ad stipem largiendam pauperibus, qui pro defunto orent).	24 XII	197 f. 167r- 168v N° 33 Cap., N° 7625 (P. 1148)
30. 28 XI 1919	Epus Adolfus Jełowicki	Petit reductionem oneris applicationis Missarum ad 159, pro quibus stipendia summam 594 marcarum constituunt ²⁶ .	28 XI	201 f. 200r (P. 965)
31. 28 XI 1919	Epus Antonius Iulianus Nowowiejski	Petit dispensationem super impedimento affinitatis primi gradus attingentis secundum in linea transversa pro Ioanne Kujawa (viduo) et Leocadia Stefaniak (virgine 32 annos nata), dioecesis Plocensis.	4 XII	197 f. 145r N° 1993 (P. 987) 201 f. 202r-v (P. 988)

²² Sac. Wladislaus Chendyński (1852-1922), procurator Capituli Cathedralis Tarnoviensis. Sacerdotii ordine a. 1884 suscepto in exercenda cura animarum parochiali Veterosandeciae, in Czechów et ab anno 1886 Tarnoviae laborabat. A. 1889 factus est capellanus ordinarii Tarnoviensis, epi Ignatii Iosephi Lobos, et magister religionis in schola pro puellis destinata itemque in consistorio episcopali laborabat. A. 1903-1909 fuit cancellarius consistorii, postea rector Associationis Archiconfraternitatis Perpetuae Adorationis SS. Sacramenti et ad Commissionem Organistarum pertinebat. A. 1909 ad dignitatem canonici gremialis Capituli Cathedralis promotus, anno autem 1914 nominatus est camerarius Suae Sanctitatis.

²³ Petitionem eam etiam ordinarius dioeceseos Tarnoviensis, epus Leo Wałęga, commendavit.

²⁴ Sac. Andreas Mikiewicz (1782-1851). Studiis theologicis in Seminario Generali Leopoliensi absolutis et ordine sacerdotii a. 1808 suscepto laborabat in exercenda cura animarum parochiali in Mielec, Kolbuszowa et Przecław. Ab a. 1818 fuit parochus parociae Strazęcín, ab anno autem 1833 functus est munera decani Pilsnensis et inspectoris scholarum popularium eodem in decanatu. A. 1833 ad dignitatem praelati scholastici in Capitulo Cathedrali est evectus eiusdemque Capituli factus decanus a. 1850.

²⁵ Sac. Andreas Rajner (1791-1862), natione Austriacus. Studiis theologicis in Seminario Dioecessano Vindobonensi et in Universitate Studiorum Varsaviensi expletis ad sacrum presbyteratus ordinem a. 1815 est promotus. Postea in cura animarum parochiali laborabat et gerebat munus adiutoris in Universitate Studiorum Vindobonensi, ubi a. 1822 gradum doctoris est adeptus. A. 1823 Studium Pastorale Bochnae instituit eiusque primum vice-rector, deinde rector fuit. A. 1827 a Francisco I imperatore canonicus gremialis Capituli Cathedralis nominatus. A. 1834 officiis rectoris et canonici Tarnoviensis depositis Lentiam in Austria Superiore se transtulit, ubi in gubernio locali functus est munere relatoris rerum ecclesiasticarum.

²⁶ In margine adnotatio manu Achillis Ratti exarata: "Ridotte a 60 (sessanta), secondo la domanda di Mons. Jełowicki. 28 XI 1919 †AR [Achille Ratti]".

1	2	3	4	5
32. 29 XI 1919	Epus Leo Wałęga	Petit dispensationem super impedimento affinitatis, quo in primo gradu aequali lineae collateralis ligantur Hyacinthus Początek (caelebs, annos natus 20) et Maria Początek (vidua, annos nata 45), dioecesis Tarnoviensis.	5 XII	201 f. 203r N° 7174 (P. 994)
33. 30 XI 1919	Aepus Iosephus Bilczewski	Petit, ut concedat indulgentiam plenariam omnibus fidelibus, qui die dominica octavario Nativitatis BMV perdurante et festo Nominis Mariae confessione peracta nec non communionem recepta ecclesiam filialem in pago Rerawiec (in paroecia Batiaty-cze) visitaverint ibique ad mentem summi pontificis oraverint. ²⁷	9 XII	201 f. 206r N° 3450 (P. 1033)
34. 1 XII 1919	Aepus Andreas Szeptycki	Petit dispensationem super defectu duorum annorum aetatis pro Zenobio Kuźmowycz ²⁸ , qui studiis theologicis absolutis sacerdotii ordinem accipere velit.	8 XII	200 f. 166r (P. 1019) 202 f. 113r (P. 1263)
35. 2 XII 1919	Aepus Iosephus Bilczewski	Petit permissum ad prorogandam toti archidioecesi facultatem Missas binandi diebus festis recens sublatis. ²⁹	9 XII	201 f. 205r N° 7364 (P. 1032)
36. 4 XII 1919	Epus Henricus Przeździec- ki	Petit, ut concedat ei facultatem delegatam processus informativos super matrimoniis ratis et non consummatis instituendi, qua pollet ordinarius Varsaviensis ³⁰ .	9 XII	197 f. 149r-v N° 3963 (P. 1028) 201 f. 204r P. 1029

²⁷ In margine legitur adnotatio secretarii: "Concessa la grazia [--] ad 5 annos [--]".

²⁸ Sac. Zenobius Kuźmowycz, sacerdos ritus Graeco-catholici, archidioeceseos Leopoliensis, a. 1897 natus, presbyteratus ordinem a. 1919 accepit. A. 1925-1938 functus est munere parochi paroeciae Sokoliwka (Sokołówka prope Bóbrka) et administratoris paroeciarum Kołogóry et Piatniczany (in decanatu Bóbrka). A. 1938 fuit visitator traditionis religionis catholicae pro eo decanatu.

²⁹ In margine legitur adnotatio secretarii: "Concessa detta facultà [--] ad primam dominicam Adventus [--]".

³⁰ In f. 149v legitur adnotatio secretarii: "Concessa la facultà nella maniera chiesta, con la sanazione degli atti già incominciati, se forse esistono [--]".

1	2	3	4	5
37. 5 XII 1919	Aepus Iosephus Bilczewski	Petit, ut concedat ei potestatem Christifideles archidioeceseos Leopoliensis dispensandi a lege de observantia abstinentiae carnis durante sollemnitate s. Stephani Protomartyris, quae feriam sextam incidit et festum de praecepto, sicut fuit ante promulgationem novi codicis, vulgo habetur; asserit fideles ab observantia talis abstinentiae se liberos esse putare.	14 XII	201 f. 210r-v N° 7485 (P. 1074)
38. 5 XII 1919	Epus Adamus Stephanus Sapieha	Nomine rectoris ecclesiae filialis in Łopuszna petit prorogationem indulti die 30 Decembris a. 1911 dati, vi cuius omnes fideles die 17 Ianuarii – s. Antonii Abbatis et Dominica SS. Trinitatis sub consuetis condicionibus indulgentiam plenariam lucrari possint ³¹ .	11 XII	201 f. 208r N° 10009 (P. 1061)
39. 8 XII 1919	Epus Iosaphat (Iosephus) Kocylov- s'kij	Petit veniam instituendi in domo parochiali in pago Lublynec (dioecesis Graeco-catholicae Premisliensis) oratorium privatum, in quo a sac. Iosepho Komarnickyj ³² hieme nec non diebus dominicis et festis Missae celebrari possint ³³ .	13 XII	200 f. 176r- 177r N° 5019 (P. 1068)
40. 9 XII 1919	Epus Stanislaus Zdzitowiec- ki	Nomine fidelium recens erectae parociae Panki petit, ut omnes, qui diebus Sanctissimae Familiae, quae est ecclesiae titulus, ac Beatae Mariae de Angelis (die 2 Augusti), ecclesiam hanc confessi sacraque synaxi refecti visitaverint et preces iuxta mentem Ecclesiae fuderint plenariam omnium peccatorum indulgentiam defunctorum animis applicabilem obtinere valeant ³⁴ .	12 XII	201 f. 209r N° 3074 (P. 1063)

³¹ In margine legitur adnotatio secretarii: "Concessa ad septennium [-]".

³² Sac. Iosephus Komarnickyj, presbyter ritus Graeco-catholici, archidioeceseos Leopoliensis, a. 1852 natus, sacerdotii ordine a. 1876 accepit. A. 1918 in Universitate Studiorum Ioannis Casimiri Leopoliensi edocebat et fuit canonicus Capituli Cathedralis Graeco-catholici Leopoliensis.

³³ Venia ad quinquennium concessa.

³⁴ In margine legitur adnotatio secretarii: "Concessa ad quinquennium [-]".

1	2	3	4	5
41. 9 XII 1919	Aepus Iosephus Bilczewski	Nomine sac. Michaelis Wyszyński ³⁵ , vicarii in paroecia Czerniowce in Bu- covina, petit facultatem absolvendi ab excommunicatione can. 2320 specia- lissimo modo reservata.	18 XII	201 f. 216r N° 3455 (P. 1113)
42. 9 XII 1919	Aepus Iosephus Bilczewski	Nomine sac. Michaelis Wyszyński pet- it potestatem absolvendi feminam, quae ante sedecim annos, sacerdotem quendam, iam vita functum, per con- fessarium apud superiores false de sol- licitationis crimine denunciavit, nunc vero, delicti sui sincere poenitens, fal- sam denuntiationem retractavit et ab- solutioem ab hoc detestabili crimine, can. 2363 specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatam, exorat.	18 XII	201 f. 217r N° 3455 (P. 1114)
43. 9 XII 1919	Sac. Robertus Weimann, vicarius ge- neralis Po- snaniensis	Nomine rectoris ecclesiae parochialis in Żydowo petit prorogationem impe- trandi plenariam indulgentiam, etiam animis Christifidelium in gratia Dei vita functorum applicabilem, ab uni- versis fidelibus confessione et SS. Eu- charistia reffectis lucranda, si post communioem coram maiore altari vel potius coram cruce magna marmo- rea supra altari posita ad mentem summi pontificis preces fuderint ³⁶ .		201 f. 230r N° 10048 (P. 1177)
44. 10 XII 1919	P. Blasius Justvan OFM Conv. ³⁷	Nomine confratris sui Eusebii Pelc ³⁸ petit sequentes facultates: 1) benedi- cendi rosaria, nec non imponendi eis indulgentias Crucigerorum; 2) benedi- cendi numismata, quae iuxta Sanctae Sedis decreta scapularia substituere	11 XII	201 f. 207r N° 34 (P. 1049)

³⁵ Sac. Michael Wyszyński, presbyter archidioeceseos Leopoliensis, theologiae doctor, a. 1890 natus, sacerdotii ordinem a. 1915 suscepit. A. 1920 fuit vicarius generalis in paroecia Czerniowce in Bucovina.

³⁶ De venia concessa nihil constat.

³⁷ P. Blasius Justvan OFM Conv. (1887-1920). Congregationem a. 1904 ingressus, ordine presbyteratus a. 1911 auctus, fuit guardianus monasterii Varsaviensis. A. 1920 factus est guardianus in monasterio Grodnensi. Die 29 Augusti a bolseviciis est comprehensus et nocte inter dies 6 et 7 Octobris in Psków trucidatus.

³⁸ P. Eusebius Ignatius Pelc OFM Conv. (1871-1942). Congregationem a. 1890 ingressus, presbyteratus ordinem a. 1896 accepit, fuit religiosus in monasterio Varsaviensi. A. 1925 functus est munere custodis in monasterio Franciscanorum Posnaniae et a. 1938 idem officium gessit in monasterio Franciscanorum Gnesnae. A. 1942 in vincula Sanoci coniectus, obiit in castris custodiendis captivis in Oświęcim (Auschwitz).

1	2	3	4	5
		possunt; 3) benedicendi cruces parvas cum indulgentia plenaria a fidelibus in periculo mortis lucranda, nec non imponendi eis indulgentias Viae Crucis ³⁹ .		
45. 10 XII 1919	Sac. Sigismundus Jakus ⁴⁰	Petit, ut dispensationem a lege ieiunii eucharistici ante celebrationem secundae Missae iis diebus, quibus binare debet, ei concedat ⁴¹ .		201 f. 262r- 265r (P. 1329) P. 1330
46. 10 XII 1919	Aepus Iosephus Bilczewski	Petit a Sede Apostolica licentiam dividendae terrae ad mensam archiepiscopalem pertinentis ⁴² .	20 I 1920	196 f. 21r-v N° 36 (P. 1153) 197 f. 222r P. 1356
47. 12 XII 1919	Epus Adamus Stephanus Sapieha	Petit facultatem reducendi onera Missarum per plures diversos fundatores penes unam eandemque ecclesiam fundatarum, ita ut plures Missae a diversis fundatoribus fundatae in unam per annum cumulari et reduci possint, quia fundus singularum valde exiguus est et census annuus multum inferior stipendiis manualibus ⁴³ .	20 XII	201 f. 218r N° 11859 (P. 1117)
48. 13 XII 1919	Epus Stanislaus Zdzitowiecki	Petit prorogationem ad alterum decennium indulgentiarum ecclesiae parochiali in Wojków concessarum.	17 XII	201 f. 215r N° 3317 (P. 1101)

³⁹ In margine legitur adnotatio secretarii: "Concesso ad triennium [-]".

⁴⁰ Sac. Sigismundus Jakus, presbyter dioeceseos Tarnoviensis, a. 1886 natus, ad sacrum sacerdotii ordinem a. 1909 promotus, fuit parochus paroeciae Lipnica Wielka.

⁴¹ Auditor Nuntiaturae praefato respondit talem petitionem una cum opinione ordinarii sui prolata ad Sedem Apostolicam mittendam esse. Asserit se, si eiusmodi opinio sibi mittatur, has preces ad S. Congregationem S. Officii transmittendas curaturum esse. Cfr. AV, Arch.Nunz.Vars. 201 f. 265r - scriptum de die 17 I 1920, N.prot. 1330.

⁴² Cfr. N. 1428.

⁴³ In margine legitur adnotatio secretarii: "Concessa la facoltà di ridurre non più che per un triennio [-]".

1	2	3	4	5
49. 15 XII 1919	Aepus Casimirus Ruszkiewicz	Tamquam vicarius generalis archidieceos Varsaviensis petit reductionem Missarum in Curia Metropolitana Varsaviensi: 5667 Missarum (pro quibus stipendia summam 7567 rublorum et 42 cop. faciunt), 1421 Missarum (pro quibus stipendia summam 5628 marcarum et 38 phen. faciunt), 35 Missarum Gregorianarum (pro quibus stipendia summam 4075 marcarum Polonicarum faciunt) ⁴⁴ .	23 XII	201 f. 224r N° 7235 (P. 1143)
50. 16 XII 1919	Aepus Iosephus Bilczewski	Petit prorogationem usque ad a. 1920 facultatum decreto de die 11 XI 1915 (N° 4292) concessarum a Congregatione Concilii et postea usque ad extremum annum 1919 decreto de die 13 XII 1918 (N° 4670) prorogatarum, quae ad stipendia Missarum manualia et fundata in Curia Metropolitana deponenda et ad eadem stipendia inter clerum distribuenda nec non ad reducendum numerum stipendiorum pro sacerdotibus pauperibus atque ad substituendas Missas lectas pro Missis cantatis pertinent.	23 XII	201 f. 222r- 223r N° 7831 (P. 1142)
51. [ante 17 XII] 1919	Sac. Premislaus Ołtarzewski ⁴⁵	Petit facultatem absolvendi a censuris et irregularitate sacerdotem, qui duplici vice operam suam dedit procuratori abortus, effectu secuto, nesciens hisce delictis talem poenam annexam esse ⁴⁶ .		201 f. 211r, 214r (P. 1096) P. 1100
52. 18 XII 1919	Epus Henricus Przeździecki	Petit prorogationem permissus ad reducenda Missarum manualium onera attinentis ⁴⁷ .	27 XII	201 f. 225r-v N° 4112 (P. 1162)

⁴⁴ In margine legitur adnotatio secretarii: "Concessum ut in precibus; 15 marcae pro Missis ord. et 1 Greg. pro quattuor Gregorianis [-]".

⁴⁵ Sac. Premislaus Ołtarzewski, presbyter dioeceseos Lublinensis.

⁴⁶ Litteris die 17 XII 1919 (N.prot. 1100) datis auditor Nuntiaturae certiore reddidit sac. Premislaum Ołtarzewski tali potestate a Sede Apostolica impetrata petitionem Romam iterum nuntio mittendam esse annexis opportunis documentis confirmativis ex Curia Episcopali.

⁴⁷ In margine legitur adnotatio secretarii: "Concessa la riduzione a ragione di marchi 15 per Messa, ma solo per le Messe già esistenti presso la Curia di Podlachia [-]".

1	2	3	4	5
53. 20 XII 1919	Epus Adamus Stephanus Sapieha	Nomine sac. Ioannis Skwarczyński ⁴⁸ , gravi morbo confecti, petit commuta- tionem Breviarii in tres partes Rosa- rii ⁴⁹ .	20 XII	201 f. 227r N° 11905 (P. 1169)
54. 20 XII 1919	Epus Adolfus Szelązek	Petit privilegium asservandi SS. Eu- charistiae Sacramentum in sacello suo privato ⁵⁰ .	21 XII	201 f. 219r (P. 1135)
55. 20 XII 1919	Antonius Chmielew- ski ⁵¹	Petit dispensationem a defectu unius anni et sex mesium aetatis, ut ad sa- crum presbyteratus ordinem promo- veri possit ⁵² .	29 XII	197 f. 176r N° 8030 (P. 1178) 201 f. 231r P. 1179
56. 22 XII 1919	Epus Antonius Iulianus Nowowiej- ski	Petit facultatum legendi cotidie Mis- sam de Beata sive de Requie, in quan- tum id rubricarum leges permittant, pro sacerdotibus Donato Jędrzejkow- ski ⁵³ et Bernardo Pierzchalski ⁵⁴ , mi- nus bene videntibus.	28 XII	197 f. 172r N° 2116 (P. 1168) 201 f. 226r P. 1167
57. 22 XII 1919	Epus Antonius Iulianus Nowowiej- ski	Nomine praelati Alexandri Rzewnic- ki ⁵⁵ (61 annos nati), phtisi graviter laborantis, petit, ut privilegium alta- ris portatilis ei concedatur ⁵⁶ .	30 XII	201 f. 228r (P. 1170)

⁴⁸ Sac. Ioannes Skwarczyński, presbyter dioeceseos Cracoviensis, a. 1860 natus, sacerdotii ordine a. 1884 auctus, parochus paroeciae Gaj (in decanatu Skawina).

⁴⁹ In margine legitur adnotatio secretarii: "Concessum ut in precibus, ad biennium [-]".

⁵⁰ In margine legitur adnotatio secretarii: "Concessum ad decennium [-]".

⁵¹ Sac. Antonius Chmielewski, presbyter dioeceseos Luceoriensis-Zytomeriensis. A. 1897 natus, ad sacrum presbyteratus ordinem a. 1919 promotus. A. 1925 tamquam licentiatuus in theologia functus est muneribus bibliothecarii in Seminario Dioecetano Superiore Luceoriensi et capellani militum subsidiarii.

⁵² Petitionem ad nuntium directam commendavit epus Ignatius Dub-Dubowski, ordinarius dioeceseos Luceoriensis-Zytomeriensis.

⁵³ Sac. Donatus Jędrzejkowski, presbyter dioeceseos Plocensis, canonicus Capituli Collegialis Pultoviae. A. 1837 natus, presbyteratus ordinem a. 1863 suscepit. Ab a. 1925 sacerdos emeritus Plociae.

⁵⁴ Sac. Bernardus Pierzchalski, presbyter dioeceseos Plocensis, a. 1830 natus.

⁵⁵ Sac. Alexander Rzewnicki, cfr. ANP LVII/4, notam 3, p. 408.

⁵⁶ In margine legitur adnotatio secretarii: "Concessum ad 5 annos [-]".

1	2	3	4	5
58. 22 XII 1919	Epus Augustinus Łosiński	Petit, ut facultates dispensandi cum diaconis super defectu viginti mensium aetatis canonicae ad sacerdotium promovendis prorogare velit ⁵⁷ .		201 f. 234r N° 29872 (P. 1202)
59. 23 XII 1919	Epus Augustinus Łosiński	Petit facultatem dispensandi ab impedimentis: 1) mixtae religionis opportunis cautelis servatis, 2) consanguinitatis legalis et naturalis secundi et tertii gradus lineae collateralis, 3) affinitatis primi et secundi gradus lineae collateralis, 4) publicae honestatis primi et secundi gradus lineae rectae, 5) cognationis spiritualis, 6) adoptionis seu cognationis legalis, quod impedimentum viget in Polonia, nam in codice civili reperitur, 7) criminis in n. 1 ac 2 et specie seu etiam coniugicidio provenientes, 8) voti simplicis absoluti - post duodeviginti annos vitae emissi: perfectae et perpetuae castitatis et ingrediendi religionem vel saltem ea in alia pia opera committendi ⁵⁸ .		201 f. 232r- 233r N° 29873 (P. 1201)
60. 25 XII 1919	Epus Petrus Mańkowski	Petit: 1) ut prorogentur ad quinque- nium decreta Congregationis Consistorialis diebus 25 Aprilis et 2 Augusti a. 1918 lata, quae ad matrimonia mixta contrahenda pertinent; 2) ut extendantur privilegia in can. 822 § 4 contenta, ita ut Missae in domibus privatis celebrari possint; 3) ut delegentur facultates ex lege impetratae et in can. 349 § 1 contentae, attinentes ad can. 239 § 1; 4) ut facultatem dispensandi ab irregularitatibus, tum ex defectu, tum ex delicto provenientibus, non tantum in casibus occultis ei concedat; 5) ut privilegium asservandi SS. Sacramentum in sacello domus religiosae Sororum Filiarum SS. Cordis Mariae prorogare velit ⁵⁹ .	6 I 1920	197 f. 200r- 201r (P. 1237) 201 f. 235r-v P. 1238

⁵⁷ Deest adnotatio de facultatibus prorogatis.

⁵⁸ Desunt informationes de facultatibus concessis.

⁵⁹ Litteris die 6 Ianuarii a. 1920 datis (N.prot. 1238 praeditis) nuntius certiore reddidit epum Pe-

1	2	3	4	5
61. 29 XII 1919	Epus Marianus Ryx ⁶⁰	Petit facultatem reducendi onera Missarum ex legatis piisque testamentis celebrandarum nec non applicandarum ad intentiones fundatorum et benefactorum nonnullorum monasteriorum dioeceseos Sandomiriensis, quorum ecclesiae in ecclesias parochiales commutatae sunt ⁶¹ .	12 I 1920	197 f. 211r-v N° 102 (P. 1284) 201 f. 243r P. 1285
62. 30 XII 1919	Epus Adamus Stephanus Sapieha	Nomine Basili Leitner Graecocatholici (annos nati 30) petit veniam transeundi ad ritum Latinum, quia eius pater et fratres et sorores ad ritum Latinum pertinent ipseque in ritu Latino inde a pueritia educatus est.	3 I 1920	200 f. 187r N° 1202/19 (P. 1224)
63. 2 I 1920	Epus Leo Wałęga	Petit dispensationem super impedimento affinitatis, quo in primo gradu aequali lineae collateralis ligantur Ioannes Stach (viduus, annos natus 32) et Regina Orzeł (nubilis, annos nata 24), dioecesis Tarnoviensis.	9 I 1920	201 f. 236r N° 13 (P. 1258) f. 237r P. 1259
64. 2 I 1920	Epus Leo Wałęga	Petit dispensationem super defectu trium mensium aetatis pro Ludovico Smołka (die 1 Septembris a. 1896 in pago Świniarsko nato), clerico dioecesis Tarnoviensis, ad sacerdotii ordinem promovendo ⁶² .	9 I	201 f. 238r N° 42 (P. 1260) f. 239r P. 1261
65. 5 I 1920	Epus Leo Wałęga	Petit dispensationem super impedimento affinitatis, quo in secundo gradu cum primo mixto lineae obliquae ligantur Iosephus Krajewski (viduus, annos natus 38) et Catharina Mađra (nubilis, annos nata 22), dioecesis Tarnoviensis.	12 I	201 f. 244r N° 64 (P. 1292)
66. 5 I	Epus Leo Wałęga	Petit dispensationem super impedimento consanguinitatis, quo in secundo gradu aequali lineae collateralis li-	12 I	201 f. 245r N° 85

trum Mańkowski de indulgentiis concessis: ad 1 - "usque ad finem praesentis anni 1920"; ad 2 - "ad quinquennium"; ad 3 et 4 - "ad triennium"; ad 5 - "ad quinquennium"; cfr. etiam: AV, Arch.Nunz.Vars. 197 f. 202r Ratti - Mańkowski, 5 I 1920, N.prot. 1239.

⁶⁰ Epus Marianus Iosephus Ryx, cfr. ANP LVII/1, notam 18, p. 7.

⁶¹ Facultas reducendi onera Missarum concessa est "pro toto praesenti anno 1920".

⁶² Sac. Ludovicus Smołka, presbyter dioeceseos Tarnoviensis, a. 1896 natus, sacerdotii ordinem a. 1920 accepit. A. 1925 fuit vicarius generalis in parocia Jadowniki (in decanatu Wojnicz).

1	2	3	4	5
1920		gantur Iosephus Krzyżak (caelebs, annos natus 27) et Iosepha Kądziołka (nubilis, annos nata 32), dioecesis Tarnoviensis.		(P. 1293)
67. 8 I 1920	Epus Henricus Przeździecki	Petit pro sac. Ioanne Łagodyński ⁶³ , qui ex Ecclesia Orientali ad Ecclesiam Latinam transiit, licentiam celebrandi Missam secundum rituale Romanum itemque Missas de Beata Maria Virgine et de Requite causa morbi.	12 I	200 f. 188r- 189r (P. 1286 ^a) P. 1286 ^b
68. 8 I 1920	Epus Leo Wałęga	Petit dispensationem super impedimento affinitatis, quo in primo gradu aequali lineae collateralis ligantur Antonius Lis (caelebs, annos natus 37) et Clara Lis (vidua, annos nata 30), dioecesis Tarnoviensis.	12 I	201 f. 246r N° 92 (P. 1294)
69. 8 I 1920	Epus Leo Wałęga	Petit dispensationem super impedimento consanguinitatis, quo in secundo gradu aequali lineae collateralis ligantur Ioannes Stachowicz (caelebs, annos natus 28) et Ioanna Stachowicz (nubilis, annos nata 22), dioecesis Tarnoviensis.	12 I	201 f. 247r N° 117 (P. 1295)
70. 8 I 1920	Epus Leo Wałęga	Petit dispensationem super impedimento affinitatis, quo in primo gradu aequali lineae collateralis ligantur Crispinus Tarczyński (viduus, annos natus 45) et Sophia Brzuchacz (nubilis, annos nata 20), dioecesis Tarnoviensis.	12 I	201 f. 248r N° 139 (P. 1296)
71. 8 I 1920	Epus Leo Wałęga	Petit dispensationem super impedimento affinitatis, quo in primo gradu aequali lineae collateralis ligantur Stanislaus Liptak (viduus, annos natus 33) et Catharina Olechowa (nubilis, annos nata 20), dioecesis Tarnoviensis.	12 I	201 f. 249r N° 152 (P. 1297)

⁶³ Sac. Ioannes Łagodyński (1852-1920), presbyter dioeceseos Podlachiensis. Seminario clericorum ritus Graeco-catholici Chelmensi absoluto, ubi a. 1874 presbyteratus ordinem suscepit, fuit parochus parociae Radzyń. Auctoritatibus prementibus transiit ad orthodoxiam. Ad Ecclesiam Latinam a. 1919 transiit et in exercenda cura animarum parochiali in Siedlce laborabat.

1	2	3	4	5
72. [ante 10 I] 1920	Sac. Henricus Betto ⁶⁴	Petit facultatem benedicendi et imponendi scapulare SS. Trinitatis, BMV de Monte Carmelo, BMV Immaculatae, Septem Dolorum BMV, Passionis et Sacratissimi Cordis DNJC nec non Cordis Amantissimi et Compatientis BMV; benedicendi rosaria eisque applicandi indulgentias apostolicas non exceptis iis, quae rosariis Crucigerorum ac coronis s. Birgittae nuncupatis adnexae sunt ⁶⁵ .	10 I	201 f. 241r (P. 1274)
73. [ante 10 I] 1920	Sac. Petrus Pianko ⁶⁶	Petit facultatem benedicendi et imponendi scapulare SS. Trinitatis, BMV de Monte Carmelo, BMV Immaculatae, Septem Dolorum BMV, Passionis et Sacratissimi Cordis DNJC nec non Cordis Amantissimi et Compatientis BMV; benedicendi rosaria eisque applicandi indulgentias apostolicas non exceptis iis, quae rosariis Crucigerorum ac coronis s. Birgittae nuncupatis adnexae sunt ⁶⁷ .	10 I	201 f. 242r (P. 1275)
74. 10 I 1920	Epus Romualdus Jałbrzykowski	Petit prorogationem indulti summi pontificis, vi cuius parochi et administratores paroeciarum dioeceseos Sejnensis stipendia pro Missis celebratis diebus festis sublatis ad necessitates Seminarii Dioeceseo adimplendas destinabant ⁶⁸ .	11 I	201 f. 240r P. 1273
75. 11 I 1920	Epus Leo Wałęga	Petit dispensationem super impedimento affinitatis, quo in primo gradu aequali lineae collateralis ligantur Iohannes Leśniak (caelebs, annos natus 41) et Cunegundis Leśniak (vidua, annos nata 40), dioecesis Tarnoviensis.	16 I	201 f. 256r N° 238 (P. 1326)
76. 11 I 1920	P. Beniamin Ryziński OFM	Nomine unius ex sacerdotibus dioecesanis, aegri et mediis sustentationis privati, petit reductionem 800 Missarum (pro quibus stipendia accepta	19 II	201 f. 271r- 272r (P. 1351)

⁶⁴ Sac. Henricus Betto, cfr. ANP LVII/6, notam 745, p. 312.

⁶⁵ In margine legitur adnotatio secretarii: "Ad quinquennium [-]".

